

Psal. 148 operatum. Vbi igitur mora, cum legas: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt? Nec artis igitur vltim nec virtutis expendit, qui momento suae uoluntatis maiestatem tantae operationis impleuit, ut ea quae non erant, esse faceret, tam velociter, ut neque uoluntas operationi praecurreret, neque operatio uoluntati. Miraris opus, quaeris operatorem. Quis principium tanti operis dederit, quis tam cito fecerit, subiecit statim dicens: Quia deus fecit caelum & terram. Audisti auctorem, dubitare non debes. Hic est in quo benedixit Melchisedech Abraham patrem multarum gentium, dicens:

Gene. 14. Benedictus Abraham deo summo, qui fecit caelum & terram. Et credidit Abraham deo, & ait: Extendam manum meam ad deum summum, qui fecit caeli & terrae. Vides quia hoc non homo inuenit, sed deus annuntiavit. Deus est enim Melchisedech, qui est rex pacis & iustitiae, nec initium dierum neque finem habens. Non mirum ergo si deus qui est sine initio, initium omnibus dedit, ut quae non erant, esse inciperent. Non mirum si deus qui omnia uirtute sua continet, & incomprehensibili maiestate uniuersa complectitur, fecit haec quae uidentur: cum etiam illa fecerit quae non uidentur. Inuisibilia autem illis quae uidentur potiora esse quis neget, cum ea quae uidentur, temporalia sint, aeterna autem quae non uidentur? Quis dubitet quod deus haec fecerit, qui per prophetam locutus ait: Quis mensus est manu aquam, & caelum palmo, & uniuersam terram clausa manu? Quis statuit montes in libra, & rupes in statera, & nemora in iugo? Quis cognouit sensum domini, aut quis eius consiliarius fuit, vel quis instruxit eum? De quo etiam alibi legitur: Quia tenet circuitum terrae, & terram uelut nihilum fecit. Et Hieremias ait: Dii qui non fecerunt caelum & terram, peribunt a terra, & de sub caelo isto. Dominus qui fecit terram in uirtute sua, & correxit in sapientia sua orbem, & in sua prudentia extendit caelum, & multitudinem aquae in caelo. Et addidit: In fatuatus est homo a scientia sua. Qui enim corruptibilia mundi sequitur, & ex his putat quod diuinum possit naturae comprehendere ueritatem, quomodo non in fatuatur uersutae disputationis astutia? Cum ergo tot oracula audias quibus testificatur deus quod fecerit mundum, noli cum sine principio esse credere, quia quasi sphaera mundus esse dicitur, ut principium eius nullum uideatur extare: & cum innotat, quasi in circuitu omnia commoueantur: ut unde incipiat, ubi desinat, non facile comprehendas: quia circuitus principium sensu colligere impossibile habetur. Neque enim sphaerae potest initium reperire, vel unde coeperit globus lunae, vel ubi desinat menstrua lunae defectio. Neque uero si ipse non comprehendas, id circo non coepit, aut nequaquam desinet. Si ipse circuitum vel a tramento vel graphio ducas, uel cetro exprimas, unde coeperis, aut ubi desieris, interuallo interposito, non facile uel oculis colligis, uel mente repetis: & tamen & coepisse & desuisse ipse tibi testis es. Nam et si sensum subterfugit, ueritatem non subruit. Quae autem initium habent, & finem habent: & quibus finis datur, initium datum constat. Finem autem mundi futurum ipse saluator docet in euangelio suo dicens: Praeterit enim figura huius mundi: Et caelum & terra praeteribunt: Et infra: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem mundi. Quomodo ergo coaeternum deo mundum asserunt, & creatori omnium sociant, atque aequalis esse disputant creaturam, corpusque materiae mundi inuisibili illi atque inaccessiblei naturae diuinum coniungendum putant, cum praesertim secundum suam sententiam non possint negare, quoniam cuius partes corruptioni & mutabilitati subiacent, huius necesse est uniuersitatem iisdem passionibus quibus propriae portiones eius sunt obnoxiae, subiacere?

De multiplici relatione & acceptione principii, & quibus modis intelligi possit in principio deum fecisse caelum & terram. Caput III.

PRINCIPIUM igitur esse docet qui dicit: In principio fecit deus caelum & terram. Principium autem ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamentum, quo in aedificanda domo initium fundamentum est. Principium quoque purificationis & deprauationis dici posse scripturarum cognoscimus auctoritate. Est & principium artis, ars ipsa ex qua artificum diuersorum deinceps coepit operatio. Est etiam principium bonorum operum finis optimus, ut misericordiae principium est deo placere quod facias. Etiam ad considerandum hominum subsidium maxime prouocatur. Est etiam uirtus diuina quae hac exprimitur appellatione. Ad tempus refertur si uelis dicere in quo tempore deus fecit caelum & terram, id est in exordio mundi quando fieri coepit, sicut ait sapientia: Cum pararet caelum, cum illo eram. Ad numerum autem si referas, ita conuenit ut accipias: In primis fecit deus caelum & terram: deinde colles, regiones, fines inhabitabiles. Vel sic: Ante reliquas uisibiles creaturas, diem, noctem, ligna fructifera, animantium genera diuersa, caelum & terram fecit. Si uero ad fundamentum referas, principium terrae fundamenta esse legisti, dicente sapientia: Quando fortia faciebat fundamenta terrae, eram penes illum cuncta componens. Est etiam bonae principium disciplinae, sicut est illud: Initium sapientiae est timor domini: quoniam qui timet dominum, declinat errorem, & ad uirtutis semitam uias suas dirigit. Nisi enim quis timerit deum, non potest renuaculare peccato. Quod aequae etiam de illo possumus accipere, Mensis hic initium mensium erit uobis, quantum & de tempore istud accipias, quia de Pascha dominum loquebatur, quod ueris initio celebratur. In hoc ergo principio mensium caelum & terra fecit, quod inde mundi capiti oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus ueris temperies. Unde & annus mundi imaginem nascens expressit, ut post hybernas glacies atque hyemales caliginis seriorum solito ueni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam futuris annorum curricula mundi primus exortus, ut ea lege annorum uices surgeret, atque initio cuiusque anni produceret terra noua seminum germina, quo primum dominus deus dixerat: Germinet terra herbam fructum, & lignum fructiferum in quo nobis & moderationis perpetuae diuina prouidentia, & celeritas terrae germinantis ad aestimationem uernae suffragatur aetatis. Nam etsi quocumque tempore & deo iubere promptum fuit, & terrae obedire naturae, ut inter hybernas glacies & hyemales pruinas, caelestis imperii fotu germinans terra factum produceret, non erat tamen dispositionis aeternae, rigido stricta gelu in uirides subito fructus laxari atque, atque horribilibus pruinis florulenta misceri. Ergo ut ostenderet scriptura ueris tempora in constitutione mundi, ait: Mensis hic uobis initium mensium: primus est uobis in mensibus anni. Primum mense, uernum tempus appellas. Decebat enim principium anni, principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris foueri. Neque enim possent tenera rerum exordia ad asperioris labore tolerare frigoris, aut torrentis aetis iniuria sustinere. Simul illud aduocare licet, quia iure coarctat ut eo tempore uideatur in hac generatione atque in hos usus ingressus tributus, quo tempore ex hac generatione i regeneratione legitimus est transitus. Siquidem uerno tempore filii Israel Egyptum reliquerunt, & per mare transierunt, baptizati in nube & in mari, ut Apostolus dixit: Et eo tempore domini quotannis le

Prouer. 8.

L

Ibidem.

Ecdi. 1.

Exodi. 12.

M

Exodi. 12.

1. Cor. 10.

su Christi pascha celebratur, hoc est animarum transitus a uitiis ad uirtutem, a passionibus carnis ad gratiam